



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 65. Conditiones de futura Pontificis electione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

talem, qui ab universo Orbe acceptaretur, Pontificem communibus suffragiis eligi posse. Alii ex aduerso dicebant, non leuia ex longiori electionis mora, timenda fore pericula, maxime, ne forte Romæ novi suscitarentur tumultus, Romanis, cum nullus interim Urbis gubernacula teneret, facile temporalem sibi auctoritatem denuo vindicaturis. Dein, Benedictum jam aliunde, insuperhabita fide toties data ad deponendum Papatum minime pronum, abs dubio hanc cunctationem in rem suam versurum, ac magis magisque animum in solita sua perverbia obfirmaturum, certa spe fretum, quod, cum præter se ipsum nullus alius renuntiatus sit Pontifex, sensim totus orbis in sui obedientiam concessurus sit. In hac opinionum varietate, quid tandem conclusum fuerit, percipiamus.

§. LXV.

Conditiones, sub quibus Electio Pontificis decreta fuit.

Tandem Papam eligere statuunt, ea tamen lege, ut electus se non nisi velut Pontificii muneris Administratorem gereret, ac Papatu cederet. Ergo vigesima tertia Novembris in Conclavi publicas conficiunt tabulas, vi quarum singuli

*Theod. Niem
de schism.
lib. 3. cap. 1.*

F 2

Cardi-

Sæcul. XV. Cardinales tactis sacrosanctis Evangeliiis
A.C. 1406. jurarent, quemcunque eorum ad Pontificiam dignitatem assumi contingeret, eum juri suo, ac Papatui, libere, ac simpliciter renuntiaturum, si Antipapa pariter aut cederet, aut obiret, & utriusque obedientiæ Cardinales in unum communi sententia conspirarent: Si quis vero ex Cardinalibus absentibus assumere-tur, easdem omnino condiciones adimplere adstrictum fore; Necnon à Neoelecto Papa infra mensem a die inaugurationis suæ computandum, Antipapam, ejusque Cardinales, Imperatorem, Reges, Principes, Prælatos, Universitates, & totius Orbis Christiani Communitates de sua electione, atque præfatis conventis certiores reddendos, suisque epistolis significandum, infra tres Menses locum ad tractandam unionis causam idoneum communi consilio definiendum fore, ac se cessionem, atque omnem aliam rationi consonam viam amplecti paratum esse. (Hæc clausula ad impune eludendam cessionem consulto adjecta videtur) Præterea a novo Pontifice promittendum, se pendente unionis tractatu nullos creaturum Cardinales, nisi Cardinalium suo æmulo addictorum numerum coæquandi necessitas aliter suaderet. Tandem, se statim post suam electionem, ac coronationem, sicut etiam in primo publico Patrum

Patrum Senatu a se cogendo omnia al-
 tefata conventa solemni ritu confirma-
 turum, erecto desuper instrumento manu
 propria signando.

Sæcul. XV.
 A.C. 1406.

§. LXVI.

*Electio Angeli Corarii sub nomine
 Gregorii XII.*

Omnes Cardinales publicis hisce tabu-
 lis subscripserunt, & ad hanc formu-
 lam observandam juramento sese obstrin-
 xerunt. Ergo trigesima Novembris die
 in festivitate S. Martini uno animo, o-
 mniumque suffragiis Pontificem saluta-
 runt Angelum Corarium Nobilem Ve-
 netum, Patriarcham Constantinopolita-
 num, Presbyterum Cardinalem tituli S.
 Marci, septuagenario majorem, nonnulli
 eundem omnino octogesimum ætatis
 annum attigisse referunt; Gregorius XII
 nuncupari voluit. Hunc ipsum lauda-
 tam juramenti formulam summo procu-
 rasse studio historica testantur monumen-
 ta. Igitur in Conclavi statim peracta
 sui electione eadem pacta, atque jura-
 menta rata habuit, & præsentibus iis-
 dem Cardinalibus, omnibusque Præla-
 tis verba fecit, in quibus desiderium, quo
 Ecclesiam sub uno solo capite aduna-
 tam conspicerere ardentissime flagraret,

*Niem. lib. 3.
 cap. 12.*

*Arct. Ital.
 pag. 256.*